

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XIII. De statu sanctorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Et dixi : O Domine Deus, si ille famulus tuus omnia benefacta sua huic indigenti animæ largiretur, quid tunc fieret circa eam ? Extemplo indulsit mihi Dominus quod illam felicem animam videre digna fui ; quam prius propter impudicam pœnam quam sustinuit non poteram intueri ; quia hoc anima mea non valuit sustinere. Erat autem sole pulchrior , elevatus valde super omnem miseriam deliciosa fluens claritate. Et dixit ad me gaudens et exultans : Dic amicis meis : si terra aurea perpetuo solis splendore illustrata, vernali florum ac fructuum aerisque tempore cum odoris efflueret dulcedine, una ibi hora nollem consistere, quia tanta amœnitate et jucunditate perfruor in hac vita. Nondum tamen pervenerat [ad æternum cœlum] beatorum.

XIII. DE STATU SANCTORUM.

DOMINUS Jesus Christus virtutibus plenus ad dexteram Patris ascendit ; quem nullus sequi potest nisi fulciatur virtutibus. Sancta Trinitas super celsitudinem exaltata resedit cum omnibus electis amicis, quos honore, pulchritudine, gaudiisque ditavit, secundum quod laudabiliter piarum virtutum similitudinem in hoc sæculo habuerunt. Quælibet [virtus] quæ in hoc mundo bonæ voluntatis formam accipit, charitate ornata, et perfecta sine culpa resonat in cœlestibus, tamquam chorda fidelis animæ et [prompti] corporis coram throno. Dicit Pater grates Filio quoniam virtutibus attraxit, Filiusque Patri quoniam creavit, stringitque Patrem et Filium Spiritus Sanctus ; etenim cum jubilo sic transfluunt, ut [illa] in omnibus Deum diligant et collaudent.

VI. 8.

Diabolus et Satanas cum omnibus vitiosis sic in infima est demersus, sicut Dominus Deus cum Sanctis super omnia exaltatur. Inter altitudinem divinam et abyssum Satanæ duplex purgatorium invenitur, in quibus multiplex pœna et angustia reperitur. Primum purgatorium est utilis miseria, quam in hoc mundo in pœnis multiplicibus et pœnuriis ex-

perimur; secundum purgatorium est post hanc vitam : immane nimis, quod in faucibus inferni incipit et in porta cœli desinit et finitur. Dæmones autem potestatem non habent animas puniendi nisi super terram et in aere et in omnibus locis in quibus peccatis suis aërem maculavit. Hæc sunt testimonia diaboli in verecundiam et pœnam ampliorem peccatorum, quæ hic per pœnitentiam diluere neglexerunt. Cum autem manum diabolicam evaserunt, tunc in semetipsis ardore mirabili etiam pro culpis minoribus cruciantur; deinde adjuvantiis et compassionibus a pœnis omnibus elevantur, ubi cœlo proximi omnibus gaudiis perfruuntur; attamen visione Dei nondum digni sunt, nec gloriam quam accepturi sunt adhuc habent, nec coronam de manu Domini perceperunt. Hæc est dispositio purgatorii in terra et aere, inter infernum et firmamentum. Anima autem quia spiritus est, a corporalibus rebus cruciari non potest, cum fuerit a corpore separata.

XIV. QUALITER ELECTI ET REPROBI IN CÆLO, IN PURGATORIO ET IN INFERNO COMPARENT.

IV. 25.

NOSTRA præsentia jam nunc resplendet in cœlestibus, secundum quod hic decorati virtutibus et charitatis Dei munere sumus, sic jam manifesta omnibus beatis; laudantque Dominum et gaudent ac si jam eorum consortio jungeremur. Nostrum autem profectum non cognoscunt, verumtamen virtutum incrementum et claritatis augmentum, et ascensus ad profectum sanctis hic de die in diem conceditur; unde sanctorum meritum et angelorum jucunditas cumulatur. Cum vero in quæcumque peccata labimur, pulchritudo in nobis cœlestis obumbratur, et desiderant angeli, orantque pro nobis sancti, ut purificati per pœnitentiam revertamur.

In purgatorio quoque nostra apparet præsentia; unde ibi existentes contristantur, nec tamen juvare nos poterunt, suis cruciatibus miserabiliter occupati. Multæ cum tam gravibus culpis ad purgatorium animæ descenderunt, quod eis scire non conceditur si unquam debent liberari. Quare? Nolebant, dum viverent, suis carnalibus labiis confiteri. Quomodo au-